Ziemiński Thomas: Quaestio theologica de fine ultimo hominis —


Biblioteka Jagiellońska
stdr0001632

✠

JN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO

THEOLOGICA,

DE

FINE VLTIMO HOMINIS,

ejus Beatitudine Objectiva & Formali.

QVAM

Ex Prima Secundæ, Summæ Theologicæ, D. THOMÆ, Doctoris Angelici, *à Quæst. 1. ad Qu. 5.* inclusivè

DEPROMPTAM:

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Reverendissimi Domini, D.

M. MATHIÆ PSOIECKI,

S. Theol. & V. J. Doctoris & Professoris, Protonotarij Apostolici, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium PRÆPOSITI, S. FLORIANI ad Cracov: & Opatoviensis DECANI, SCHOLASTICI Curzeloviensis, CANCELLARII Posnaniensis, CVRATI in Osiek, Contubernij Iagelloniani PROVISORIS, S. R. M. SECRETARII, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis, GENERALIS ac VIGILANTISSIMI

RECTORIS;

PUBLICÆ DISPUTATIONI

EXPOSITAM:

PRÆSIDENTE

M. CHRISTOPHORO KRZYKAWSKI,

Philosophiæ Doctore, Collega Majore, S. Th. Baccalaureo, Ecclesiarum Collegiatarum, Neosandecen: Cancellario, S. FLORIANI ad Cracov: Canonico, Cursûs Theologici Moralis Fundationis, OBŁONKOVIANÆ Professore.

SUSCEPIT

M. THOMAS LIMINSKI,


Philosophiæ Doctor & Professor, Sac: Auth: Apostol: Notarius Publicus, eiusdem Cursûs Auditor,

PROPUGNANDAM.

Anno Verbi Incarnati 1699. Die 13. Decembris. Horis Pomeridianis.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

Rex Dolorum, Spinis Coronate.
Vt nos, spinâ peccatorum, sauciatos sanares.
VERITAS JPSISSIMA.
Falsis testimonijs accusata.
SAPIENTIA ÆTERNI PATRIS.
Ab insipientibus, illusa & flagellis Cæsa.
SACERDOS & VICTIMA.
Qui redemisti nos, DEO, in sanguine tuo,
& fecisti nos DEO nostro Regnum, & Sacerdotes.
Magister noster, CHRISTE Dolorosissime.
Cujus omnis actio, est nostra instructio.
SPECVLVM PATIENTIÆ.
Cui compati, regnare est,
PELICANE SOLITVDINIS.
Cuius pretioso sanguine, mundamur, & in æternam alimur vitam.
AGNE MITISSIME.
Stans tanquam occisus, & vincens, tanquam Leo, de Tribu Iuda
Infernum, Mortem Peccatum
Cui soli digno.
Aperire Librum, & solvere septem signacula eius, cum viginti quatuor
Seniorum Coronis, Vilem hanc opellam meam substerno.
Abyssus Malitiæ & Vitiorum.
Abyssum Misericordiæ Tuæ.
Supplex ac gemens invocando, ac deprecando.
Sum sicut cæteri.
Habes ô Domine! vnde me infinitè condemnes.
Sed tamen
Habes ô Domine! vnde me infinitè salues.
Proinde





Vulnera Sacra DEUS, *pro! sint medicina gementi*
Sint Salus & Virtus, vulnera sacra DEUS.

QVÆSTIO THEOLOGICA,
De Fine vltimo Hominis, eius Beatitudine Objectiva & Formali.

V. Homo Finem vltimum vitæ ſuæ habens: cujus Beatitudo Obiectiva, in ſolo Bono Increato conſiſtit: Beatitudinem Formalem, quæ eſt quid Creatum: conſiſtentem in actu intellectûs: quam poteſt aſſequi: requirentem Delectationem, vt accidens conſequens operationem intellectûs: ſemel poſſeſſam amplius amittere poſſit, nec ne?

CONCLUSIO I.

HOmo Finem vltimum vitæ ſuæ habet. Dicitur enim *Matth: 10. v. 10.* Dignus eſt operarius, Cibo ſuo. S. Chriſoſt: Dignus eſt accipere ſuſtentationem à populo, mercedem à DEO.

COROLLARIA.

I. Fines intermedij, verè & propriè habent Rationem Finis.

II. Impoſſibile eſt, quòd idem Homo pro eodem tempore efficaciter appetat duos Fines vltimos, Totales & Adæquatos: poteſt nihilominus pro eodem tempore habere duos Fines vltimos, ſi tendat in vnum efficaciter & abſolutè; in alium verò inefficaciter & ſecundùm Quid.

III. Quotieſcunque voluntas liberè & humano modo operatur, tendit ad Finem vltimum Formalem, ſaltim interpretativè.

IV. Non tantùm homini convenit agere propter finem; ſed etiam DEVS agit propter Finem, tanquam propter veram Cauſam Finalem in ſuis Operationibus ad extra, quantùm ad terminationem Paſſivam, & quatenus ſe tenent ex parte Effectûs. non verò tanquam propter veram Cauſam Finalem in ſuis actionibus, ad extra, quatenus ſe tenent ex parte ipſius DEI, & quantùm ad terminationem activam: porro DEVS in omnibus actionibus liberis, etiam quatenus ſe tenent ex parte ipſius DEI, agit propter finem tanquam propter Rationem Finalem: in actibus verò neceſſarijs, Eſſentialibus, aut Notionalibus, non agit propter Finem tanquam propter veram Cauſam Finalem, vel etiam tanquam propter Rationem à Priori.

V. Actus voluntatis ſeu Humani Specificantur à Fine.

CONCLUSIO II.

BEatitudo Hominis Objectiva, in Solo Bono Increato consistit. Dicitur enim *Gen: 15.* Ego Protector tuus sum, & merces tua magna nimis.

COROLLARIA.

I. Beatitudo Hominis Obiectiua non consistit in aliquo Bono Creato.

II. Licèt Beatitudo definiatur à Boëtio lib: 3. de Consol: Phi: Prosâ 2. *quòd sit Status omnium bonorum, aggregatione perfectus,* & à S. Aug: lib: 5. de Ciuit: DEI Cap. 1. *quòd sit Rerum optandarum Cumulata plenitudo: quia tamen hæ Definitiones solam materiam Beatitudinis tradunt, non autem Formalem Rationem eius assignant; ideo Doctor Angelicus, hic* Qu: 2. art. 1. *exactissimè definivit Beatitudinem sic: est Bonum totaliter quietans & satians appetitum.*

III. Beatitudo diuiditur in Naturalem, quæ Naturæ humanæ proportionatur seu: ad quam Homo, per principia suæ Naturæ pervenire potest. & supernaturalem, quæ naturam Hominis excedit & quam Homo solâ virtute Diuina, & auxilio sepernaturali consequi valet. Vtraq; autem subdividitur in Beatitudinem huius vitæ, quæ est imperfecta & inchoata solùm; & Beatitudinem Patriæ, quæ est perfecta & consumata. Item in Essentialem, quæ versatur circa Obiectum Beatificum, scilicet Essentiam Divinam: & Accidentalem, quæ circa alia obiecta inferiora versatur. vt Intuitio Corporis Christi in Cælo, Cognitio Creaturarum extra Verbum, &c.

IV. Beatitudo Obiectiua est illa res in cujus adeptione appetitus hominis perfectè quiescit. Formalis verò Beatitudo est operatio, quâ apprehenditur & possidetur Summun Bonum seu res illa, quæ Beatitudo obiectiua appellatur.

V. Essentia Diuina, sine Personis non est sufficiens Obiectum ad beatificandum hominem.

CONCLUSIO III.

BEatitudo Formalis est quid Creatum. Dicitur enim *Psalm. 35.* In Lumine tuo videbimus lumen.

COROLLARIA.

I. Beatitudo Formalis non consistit, in illapsu Dei speciali, in Essentiam Animæ vel Potentias eius.

II. Beatitudo Formalis non consistit in Increata DEI visione Animæ Beati vnita.

III. Beatitudo Formalis non Consistit in Habitu, seu Actu primo: sed in operatione, seu Actu Secundo.

IV. Beatitudo Formalis non est operatio Partis Sensitivæ.

V. Formalis Beatitudo, efficienter producitur ab Intellectu Beati & implicat Contradictionem Intellectum Beati ad illam merè passiuè se habere. Dicit enim Concil: Trid. Sess: 6. Can: 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium, à DEO motum & excitatum nihil DEO cooperari, &c. Sed velut inane quoddam, nihil omnino agere, merèq; passivè se habere anathema sit.*

CONCLUSIO IV.

BEatitudo Formalis consistit in Actu Intellectûs. Dicitur enim *Matth: 15. v. 14.* Cæcus autem si Cæco, ducatum præstat; ambo in foveam cadunt.

COROL-

COROLLARIA.

I. *Beatitudo Formalis principaliter consistit, in Operatione Intellectûs Speculatiui.*
II. *Beatitudo Formalis non consistit in Actu voluntatis.*
III. *Beatitudo Formalis non consistit in Consideratione Scientiarum Speculatiuarum: nec in cognitione Substantiarum Separatarum.*
IV. *Beatitudo Formalis in vno Actu & non in pluribus consistit.*
V. *Beatitudo Formalis Essentialiter consistit, in Visione Diuinæ Essentiæ.*

CONCLUSIO V.

HOmo potest consequi Beatitudinem. Dicitur enim *Matt: 19.* Omnis qui reliquerit Domum vel Fratres &c. propter Nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

COROLLARIA.

I. *Licèt requirantur aliqua bona Opera ad hoc vt Homo consequatur Beatitudinem, non ob necessitatem Dispositionis; sed ob Ordinem Diuinæ Sapientiæ; tamen Homo, per sua Naturalia, non potest acquirere Beatitudinem Patriæ.*
II. *Homo non potest consequi Beatitudinem Formalem, per Actum alicuius Superioris Creaturæ.*
III. *Uidentium Diuinam Essentiam, vnus Sanctus aliô perfectius videt. Dixit enim Saluator* Ioan: 14. *In Domo Patris mei mansiones multæ sunt.* & 1mæ Corynt: 15. v. 41. *Alia claritas Solis, alia Claritas Lunæ, alia Claritas Stellarum: Stella enim à Stella differt in claritate. Sic & in Resurrectione Mortuorum.*
IV. *Quamuis inæqualitas Beatitudinis Formalis detur inter Sanctos; tamen illa, nullam parit inuidiam, aut tristitiam, aut desiderium, habendi æqualem cum alio gradu Beatitudinis. Dicitur enim* Psalm. 16 *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* & Matt: *5. Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur.*
V. *Animæ Sanctorum, à peccatis perfectè purgatæ statim in Cælum euolant & fruuntur clara DEI visione; non expectatâ Resurrectione, aut Generali Iudicio. Dixit enim Saluator* Lucæ 23. *ad Latronem. Hodie mecum eris in Paradiso & Apostolus* ad Philip. 1. dicit: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.*

CONCLUSIO VI.

DElectatio requiritur ad Beatitudinem, vt Concomitans ipsam, seu vt accidens consequens operationem Intellectûs scilicet visionem. Dicitur enim *Matt: 25.* Intra in gaudium Domini tui. *& Rom. 14. v. 17.* Non est enim Regnum DEI esca & potus, sed pax & gaudium in Spiritu Sancto.

COROLLARIA.

I. *Ex quo Delectatio, non potest esse in Beatis sine Visione; quia Visio est Causa Delectationis; ex eo visio est principalior delectatione.*
II. *Beati necessario diligunt Deum quo ad Exercitium. ita vt non sit in eorum potestate, à tali Actu cessare.*
III. *Delectatio quâ Beati de Deo vt Bono sibi proprio, eos beatificante delectantur, quæ ad Amorem Concupiscentiæ pertinet, non à Virtute Spei, sed ab Habitu Charitatis elicitur.*
IV. *Ad Beatitudinem requiritur Comprehensio, vt significat Tentionem: & rectitudo volunta-*

luntatis. Dicit enim Apostolus 1mæ Corynth. 9. *Sic currite vt comprehendatis.* Et Matt. 5. *dicitur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

V. Beati sunt impeccabiles ab intrinseco, ita vt peccatum Mortale Actuale, aut etiam habituale, quinimo & veniale, de absoluta Dei potentia, cum Amore Beatifico conjungi non possit.

CONCLUSIO VII.

HOmo Beatitudinem semel possessam, amplius amittere non potest ab intrinseco. Dicitur enim *Sapientia* 5. Iusti autem in perpetuum vivent. *Et Ioann* 22. Christus dixit Apostolis, Gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

COROLLARIA.

I. Beatitudo semel possessa, tàm in ratione Beatitudinis, quàm in ratione visionis & operationis amplius amitti non potest ab intrinseco.

II. Error fuit Origenis, negantis perpetuitatem Beatitudinis: dicebat enim aliquos Beatorum, propter eorum demerita, fore damnandos; aliquos verò Damnatorum propter eorum merita fore beatificandos.

III. Ad videndam Diuinam Essentiam, requiritur Lumen gloriæ: quod est Qualitas Supernaturalis Intellectui à DEO infusa, eiq; per modum Habitûs inhærens, & Confortans ipsum ad videndum Deum.

IV. In hac vita clarè intuitivè nemo potest videre Deum.

V. Visio Diui Pauli quæ fuit illi communicata in raptu, exigebat ab intrinseco conservari, sed ex Dispositione DEI & per miraculum, non duravit defactò.

Quæ
Ut
Ex Misericordia tua DEVS Opt: M.
duret in Nobis
in perpetuas æternitates Clementiæ Tuæ immensæ supplicamus.
Non misisti Filium Tuum in mundum,
vt judicet mundum,
sed vt salvetur Mundus per ipsum.
Cui
Laus & Gloria & Virtus sit in sæcula sæculorum, Amen.